



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Legia Catholica**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1633**

25. S. Ioannes Agnus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)



*Cuius tumba fert Oleum,  
Matres Oliuæ nesciunt :  
Quod natura nõ protulit,  
Marmor sudando parturit.*

## XXIV. S. EBREGISVS.

DE isto Sancto , cum nihil certi ad rem nostram prodant Historiæ, hoc solum dicamus, Constare, nihil, illo Tungrensem Sedem tenente, mutatum in Religione ; nullam hæresin, aut prauam doctrinam emeruisse : quod satis est , ad ostendendum eatenus continuatam Catholicam fidem. Quod vnum hoc Opusculo agimus.

XXV. S. IOANNES  
AGNVS.

SVperiores Sanctos excepit Ioannes Agnus , ipse quoque Sanctus, & Sanctorum vesti-



gijs infistens. Miro hic modo vocatus est ad Catholicam Fidem in Tungrensi Episcopatu, propagandam.

Transmarinus quidam vir, omnibus ignotus, Angelo mone[n]te, nobilem, & opulentum hunc Agnum operi rustico intentum reperit, & Tungrensem Cathedram inire iubet. Reluctatur ille, multa causatus, cur indignus sit eo fastigio. Ad extremum, baculum, quem manu gerebat, terræ infigit, aitque, Non magis fieri posse, vt ipse Episcopus fiat, quàm vt aridus ille stipes radices, frondes, flores, fructus repente parturiat. Vidit confestim; & vix finito verbo, hæc omnia, DEO omnipotentiam suam momento ostendente.

Apostoli sententia est de Episco-



piscopis: *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Planè hic tamquam Aaron vocatus est, qui etiam Virgam florentem & fructus edentem, pari miraculo, conspexit. Sed quos fructus? piè curiosa Quæstiuncula est. Crediderim ego, *Mala* fuisse. Quæris, vnde hoc credam? Testatur Libertus Houthem, se in antiquissimo manuscripto Codice legisse, *Ea Mala*, quæ vulgo *Leodij*, & in vicinia *S. Ioannis* dicuntur, ab hoc nostro Ioanne nomen accepisse. Cur, nisi quia eius Virga cõsimilis generis *Poma* protulit? Alibi scio, eadem vocari *Poma Paradisi*. Eadem ratio, Quia *Cælo* meritò missa censentur, quæ eâ ratione producta.

Catholicus semper in vitâ

B 5

Ioan-



Ioannes Agnus, etiam in morte Catholicum se probauit, dum bona sua Oratorio SS. Martyrum Cosmæ, & Damiani legauit. In quo etiam sepultus est, anno Seruatoris 637. Est hoc Oratorium in Arce Hoyensi.

XXVI. S. A M A N D V S.

**V**erè ab omnibus amandus iste *Amandus*, qui sic Deo in amoribus fuerit. Catholica manifestè in eo sunt ista:

Monachus fuit: postea etiam Clericus. Peregrinatus est, pietatis causâ, Romam, Apostolos veneraturus: Monasteria construxit, Regum, & Principum opibus corrogatis. Gandensem Populum ad fidem conuertit: neque eâ viciniâ contentus, etiam Gentibus ultra Danubiũ positis Christi Fidem intulit.

Dago-